DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

MALO HYPOCHONDRIACO,

Quam,

Adspirante Supremi Numinis Gratia,

Consentiente

GRATIOSISSIMA

FACULTATE MEDICA

IN ALMA NORICORUM UNIVERSITATE ALTDORFFINA,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA HONORES & PRIVILEGIA DOCTORALIA

ritè acqvirendi,

Publicæ Eruditorum Censuræ submittit

JOHANNES CHRISTOPHORUS STORCK,

Hervordiâ Westphalus, ibidem Canonicus.

Ad diem XIII. *Februarii*, A. O. R. M DC LXXXV.

ALTDORFFI,

Literis HENRICI MEYERI,


Univ. Typographi.



Procemium.



Ristoteles quondam interrogatus, quidnam esset homo? scitè non minus quàm verè respondit: imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina, reliquum verò pituita & bilis. O miserum hominem, imò miserrimum, si dicente Hippocratis oraculo, ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νόσος ἐστὶν! *Sanè enim homo ne momentum temporis sibi certò polliceri potest, quo ab imminentibus morbi alicujus procellis fluctibusq́; tutus sit: Nec unus tantùm hominem invadit morbus, quin malorum agmina catervatim sæpè in ipsum irrunt, prout* Afflictionis hypochondriacæ *exemplo comprobare licebit, quæ merito suo malorum ilias dici debet, & ægrorum sæpe ac Medici spem eludit, ut proin non malè operam me collocaturum existimaverim, si nominatam afflictionem, literatorum alioquin juratum hostem, in Dissertatione præsente Inaugurali, ex Decreto & Consensu* GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ ALTDORFFINÆ, *habendâ, quoad modum generationis & solutionis spectandam exhibuerim, & quidem breviter, cùm temporis penuria & alia impedimenta brevem me esse jubeant. Interea faxit DEUS, ut hoc meum propositum mihi bene vertat!*



TH. I.

PLato quaſi quidam Philoſophorum Deus, judice Cicerone, inter effata memoratu digna non poſtremum reliquit ſequens: Poſſe nimirum res easdem variis circumſtantiis conſiderari, variisq; ideò nominibus inſigniri. Et ſane hoc ipſum quotidiana, circa nomina rebus imponenda vel impoſita, conſvetudo confirmat, ut proin neminem admiratio ſubire debeat, multos morbos diverſis nominibus ſuperbire, pro ſymptomatum varietate, quibus ſui præſentiam patefaciunt, ſiquidem cum ſua cuilibet ſit conceptorum idea, varii conceptus nominales oriuntur.

II.

Nec neceſſe eſt, ut pro confirmatione aliquod exemplum è longinquo petam, cùm tale ſubminiſtret ipſe affectus, quem hîc pertractandum ſumſi. Quidam enim denominationem à ſubjecto petentes, eundem paſſionem hypochondriacam vocarunt, quod nimirum hypochondria cartilaginibus coſtarum infimis utrinque finitima, & partes ſub illis intus contentas, maximis divexari ſymptomatibus viderint. Alii affectum dixerunt flatulentum, dum flatuum, qui in hoc affectu occurrunt, abundantiam conſiderarunt. Spagyrici tartari hypochondriaci nomine ipſum denotarunt, denominationem petentes à cauſa, quod nimirum ſanguis in hoc morbo circa hypochondria ſtagnans, ſecundum hypotheſin illorum, ſit limoſus, fæculentus, tartareus. Tandem propoſitum hunc affectum morbum literatorum appellarunt, denominatione accidentali, cùm vix unus aut alter eorum ſe ab hoc morbo liberum proclamare poſſit. Reliqua Synonyma huc tranſcribere ſuper-

vaca-

vacaneum duxi, quod præter alios *Cel. Sennertus* operose satis illa collegerit *l. 3. prax. p. 5. ſ. 1. c. 1.*

III.

Miſſa igitur Synonymiâ & Homonymiâ,(quæ potiſſimum in eo conſiſtit, quòd affectio hypochondriaca latè ſumatur pro omnibus morbis, partes ſub hypochondriis contentas occupantibus, ſtrictè pro illâ tantum afflictione, qua de præſens inſtituta eſt diſſertatio,) ad naturam affectus noſtri in deſcriptione quapiam exhibendam progredior, cùm difficillimum ſit illum definitionis logicæ comprehendere compendio. Deſcriptio igitur talis eſto: Malum hypochondriacum eſt ſyndrome variorum ſymptomatum, in actionibus naturalibus, vitalibus, & animalibus læſis præcipue notabilium, præſupponentium non unius generis morbum, ſed complicatum, à defectivâ chyloſi ac hæmatoſi dependentem.

IV.

Generis loco ſyndromen poſui variorum ſymptomatum, quæ in recenſione ſignorum diagnoſticorum producam; ſymptomata verò cùm morbum veluti umbra corpus ſequantur, morbū pariter non unum hic adeſſe quisq; intelliget. Nam præter Intemperiem cacochymam univerſi corporis, hujusq; viſcerum, chyli præcipue elaborationi, ſanguinisq; depurationi aut exaltationi, aut utriusq; diſpenſationi vacantium, morbi meatuum, aut magnitudinis auctæ, aut ſolutæ unitatis concurrunt, illos namq; obſtructiones, iſtos p. n. tumores, hos dolorum moleſtiæ produnt.

V.

Ex dictis etiam patet, quodnam asſeram ſubjectum mali hypochondriaci: Nempe enim ſubjectum morbi, quod ſcil. p. n. afficitur, ſtatuo adæquatum, totum corpus,

pus, formale autem & proximum viſcera, quæ chyli elaborationi, ſanguinisq; depurationi aut exaltationi, vel utriusq; diſpenſationi vacant, nominatim Ventriculum, Inteſtina, Meſenterium, Epar, Lienem, Pancreas, Pulmones, Cor, &c. cum glandulis & vaſis. Subjectum verò radicale cauſarum hîc peccantium, univerſam Maſſam ſanguineam pronuncio.

VI.

Sed propius nunc accedendum eſt ad Cauſarum morbificarum ſcrutinium, quæ inter primum indaganda venit Cauſa proxima, ſive immediata; hanc igitur exiſtimo eſſe chylum ac ſanguinem, particulis crudis, lentis, viſcidis, limoſis, præter naturam abundantem; ut ideò depreſſis in ſanguine portionibus ♎uoſis, balſamicis, ⊖inæ in fluorem evehantur, acidumq; præternaturale humoribus & ♎bus per corpus circulari ſolitis ingeneretur, unde experientiæ teſtimonio conſtat, homines, qui acidis vinis delectantur, item muriaticis & oxyporis condimentis appetitum quotidie ſollicitant, torminibus inteſtinorum, hypochondriorum inflationibus, aliisq; noſtrum affectum comitantibus ſymptomatibus, affligi; quòd ſi igitur ab asſumptis acidis tanta Tragœdia in corpore excitari poteſt, inde concludere licebit ſanguinem ſymptomatum autorem, etiam acido quodam p. n. ſcatere, licet pro varia corporum idioſyncraſia non eosdem proferat fructus: Præterea à curatione quoque pro acido hoc asſerendo argumentum deſumere licet, cùm enim omnia acidum extra corpus humanum infringentia, etiam intra corpus asſumpta morbo huic proficua exiſtant, per analogiſmum concludi poteſt, medicamenta talia acidum infringentia, ſecundùm eundem operandi modum operationes ſuas exſerere.

VII. Cau-

VII.

Caufas quod attinet προηγουμένας, quæ fanguinem ad dyfcrafiam talem difponunt, illas mihi dividere placet in naturales, nonnaturales, & præternaturales. Inter naturales primo fe offert, commune totius corporis promptuarium, Ventriculus, qui cùm menftruo acido ⊖ino (uti id firmiffimis argumentis demonftravit *Spectatiff.* DN. DECANVS, *Vir Nobiliff. Ampliff. Excellentiff. atq; Experientiffimus,* DN. JOH. MAVRIC. HOFFMANNVS, *Phil. & Med. D. Chem. & Anatom. Prof. Publ. Celeberrimus, Acad. S. R. I. Natur. Curiof. Collega, Præceptor ac Promotor meus jugiter colendus, in Notis ad Joh. van Horne Microcofm. p. 79.*) alimenta Ventriculo ingefta disfolvat, craffiores ac folidiores illorum particulas in minima fruftula difcerpat, fixa volatilifet, pro varia hujus menftrui corruptione, variè etiam asfumpta corrumpi, facilè quilibet perfpicere valet. Quodfi enim menftruum hoc iners ac deficiens fit, alimenta non fatis disfolvunrur, fed cruda & femicocta per viam ordinariam ad inteftina propulfa, ubi ad venas lacteas pervenerint, in illis aut ftagnant, aut fi ulterius à Lympha diluente adjuta perrexerint, Maffæque Sanguineæ confufa fuerint, quantas hic turbas fint datura, facile quivis conjicere poterit; fin vero menftruum hoc nimium acorem contraxerit, fubjugatis fpirituofis volatilibus ejus crafin ingredientibus particulis, idem chylum fimili charactere imbuit, atque infigniter contaminat, qui cum Maffæ Sanguineæ confufus fuerit, multorum fymptomatum hoc in affectu præfentium, & à lancinatione partium membranofarum, ftagnationeque periculofa fanguinis provenientium, caufa exiftere poteft. E contra vero, fi idem menftruum ex errore quodam circa dulcium & aromaticorum nimium ufum commiffo aco-

rem

rem deponat ⊖ino-sulphureis particulis exaltatis, chylus eundem characterem induens, ubi sanguinis accesserit Oceanum, multas anomalias in illo concitare, ejusque crasin naturalem pervertere valet, unde variæ phlogoses provenire solent. Quin etiam si tonus Ventriculi nimis laxetur, & à continuatis potationibus fibræ ejus nimis extendantur, & attenuentur, ineptus ille evadit ad assumpta arcte complectenda, liquoremq; fermentalem rite exprimendum ex glandulis suis, unde etiam assumpta non rite fermentantur, sed chylus viscidus ac tenax, nec rite volatilisatus producitur, qui sanguini infusus, illum etiam crassum, viscidum, & æquabili fermentationi ineptum reddit.

IIX.

Sed misso Ventriculo, consideremus quodnam reliqua in infimo ventre contenta viscera sanguinis depurationi & exaltationi aliàs dicata, huc conferant morbosum symbolum. Ubi primo occurrit Epar, ex quo p. n. constituto affectionem hypochondriacam originem sumere *Vir Nobiliss. Ampliss. Excellentiss. atq; Experientissimus* DN. MAURICIUS HOFFMANNUS, *Senior, Med. D. ac Professor primarius longe Celeberrimus, Potentiss. Elect. & Sereniss. Marchion. Brandenburg. Ducumq; Wirtemberg. atq; Reipubl. Noriberg. Archiater felicissimus, Fautor, Hospes ac Præceptor meus omni observantia colendissimus, in Prud. Med. disp. XV.* eruditissime demonstravit, hoc enim viscus cùm bilem ope glandulosorum acinorum percolatione quadam à reliquo sanguine secernat, ut illa in intestinum duodenum motu intestinorum peristaltico propulsa, ⊕ elixivioso suo, particulas Massæ assumptorum fermentatas acidas arripiat, seque cum iisdem uniat, alkalicis volatilibus oleosis dimissis, venarumque lactearum

rum oscula subeuntibus, uti id ipsum nervose demonstravit *Spectatiss.* Dn. Decanus *in suprà citatis Notis ad Horn. pag. 82.*, hinc necessariò evenit, ut ubi bilis hæc secretio imminuta fuerit, aut licet hæc recte peragatur, nullus tamen exitus eidem ad intestinalem fistulam concessus fuerit, chylus suam in stomacho conceptam aciditatem haud exuat, sed illam retineat, sanguiniq; permixtus dycrasiæ acidæ autor existat.

IX.

Nec Pancreas silentio prætereundum esse puto, hujus enim succus subacidulus, ♌ volatili temperatus, & quasi involutus, si propter stagnationem nimiam in ductu factam, & denegatum ad intestina exitum, in acidum manifestum degeneret, chylo transeunti confusus acidam dyscrasiam pariter communicare vel affundere valet.

X.

His consideratis se sistit lien, in quo cùm sanguini fermentum quodpiam alcalicum per nervos copiosissime hoc viscus perreptantes, debeat associari, ut ejus particulæ segniores in motum vindicentur, exaltentur, & attenuentur, quò promptius inde per impeditissimos Epatis meatus pergere, atque bilem inibi deponere queat, non novum, si hæc ♌uum cum sanguine permixtio, vel imminuatur, vel aboleatur, vel depravetur, sanguinem fæculentiorem & terrestriorem minusque ♌ualisatum hepar ingredi, secretionemque bilis impedire potius, quam promovere, unde adustæ illæ portiones sanguini permixtæ manentes, ejus crasin indies deteriorem reddunt.

XI.

Nec culpâ in producendo malo hypochondriaco vacant vitia renum, hi enim in officio suo segnes redditi, laticem serosum non debito modo secernunt, unde Massa san-

sa san-

ſa ſanguinea ab hoc ſero ſuperfluo inundationem quaſi patitur, particularumque ♎uoſarum enervatio & ſuppreſſio inſequitur, quibus ſuppreſſis, aciditatum morbificarum in corpore obſervatur dominium.

XII.

Jam verò cùm cauſæ hæ naturales rerum non-naturalium varia delicta præſupponant, ex illarum claſſe primo conſidero aërem, cujus tanta in hac vita neceſſitas, ut quamdiu extra uterum vivimus, ejus uſura carere nequeamus. Hic Maſſam Sanguineam ratione ⊖is ſui volatilis ⦶ſi volatiliſat, & attenuat, ejus ſpirituaſcentiam promovet, motum tam inteſtinum quam progresſivum celeriorem reddit, quod ſi verò ⊖ hoc aëris ⦶ſum à tempeſtate humidâ ventisq; auſtrinis nimis diluatur, ſanguis elaſticitate aëris ⦶ſi orbatus, ſegnius effervescit, tardiusq; circulatur, unde omnes quoque partium corporis functiones labaſcunt; ſin verò ⦶ hoc aëris nimis concentratum ſit, particulæq; ejus nimis rigidæ & ſtypticæ quaſi evadant, hæ ſanguini communicatæ illum incraſſant, & quaſi coagulant, fermentiq; aciditatem volatilem in fixam transmutant. Poſt aërem conſiderandi cibus & potus, qui morbo huic uberrimam anſam præbent, ſive quantitate peccent, utendi modo, ac tempore, ſive qualitate; præprimis vero huc faciunt olera, legumina, fructus horæi, carnes fumo induratæ, cum enim ⊖ volatile per exſiccationem iſtam in fumo in auras abierit; parum ♎uoſitatis plurimum vero terreſtreitatis cum ⊖is communis acidis particulis in illis, remanet, qualis vero cibus, talis chylus, tale nutrimentum, & hinc dependens partium, harumque actionum, vigor, ac bona diſpoſitio, uti enim ex ſpina non colligitur roſa, ita etiam ex alimentis omni ſpirituoſitate depauperatis

ſpiri-

ſpirituoſus chylus produci nequit. Potus quoque vitia hîc conſideranda, ſi enim per fermentationem à particulis ſuis fæculentis tartareis non ritè depuratus ſit, hæ tales fæculentiæ ſanguini permixtæ ipſius bonam diatheſin valde deſtruunt, ejusq; effervescentiam à ⊖ibus volatilibus dependentem infringunt. Præprimis vina acida, & ♎ Vin. nimius abuſus huic affectui anſam præbent, hic enim cum nimia oleoſitate ſua fermentum ventriculi obtundat, facile patet hoc debilitato multos crudos humores poſt ejus ſiniſtrum uſum corpus oneraturos fore. Motus quoque fomitem huic morbo ſubminiſtrat, ſi immoderatus ſit, dum enim per crebriorem muſculorum contractionem ſanguinis per corpus tranſitus celerior evadit, ille magis rareſcit, hincq; copioſius per arterias ad glandulas ſubcutaneas affluit, quàm ut à venis rurſus abſorberi queat, quare multas ſeroſitates ibi deponit, quæ cum magnam ſpirituum copiam ſimul ex corpore educant, (quod ex languore poſt motum corporis vehementiorem colligere licet,) ♎ bus his ſanguis orbatus facile ⊖ibus dominium relinquit, quæ extraverſa mille malorum in corpore autores exiſtunt: Maximè vero nocet motus talis, ſi ſtatim poſt paſtum inſtituatur, cùm enim poſt asſumptum cibum ſpiritus copioſius ad ſtomachum defluant, (uti ex hoc phænomeno colligere licet, quòd ſemper extimas corporis partes poſt paſtum refrigerari ſentiamus,) ſane ſi illi ab hoc ordinario itinere revocentur, inque alios uſus impendantur, non poteſt non digeſtionis primæ arduum negotium inſigniter turbari. Quod ſi vero motus deficiat, nimiaq́; corpus torpedine gaudeat, inde evenit, ut neque influxus vitalis partibus rite communicetur, neque humiditates excrementitiæ atque ſuperfluæ per inſenſilem tranſpiratio-

nem excutiantur, quin remanentibus illis in corpore motus fermentativus ſanguinis plurimum inhibeatur, fermentiq; activitas deſtruatur. Paria præſtat ſomnus, cum motu nimio, ſi ipſi longiori tempore indulgeatur, ſpiritus enim obſcurantur, motus humorum naturalis retardatur, crudique humores & omnis generis ſupervacanea exaggerantur. E contrario vigiliæ nimiæ exhauriunt ♎, hincq; alimentorum concoctionem impediunt, unde cruditates variæ emergunt, facilisq; ad hunc affectum via patet. Nimia quoque retinendorum excretio, & intempeſtiva excernendorum retentio, ad hunc affectum producendum multum conferunt, quando enim ſuccorum laudabilium copioſa fit dejectio, & ſpirituum animalium cum illa abſumptio, inde *Maſſa Sanguinea* valde depauperatur, ut conſtitutio ejus quaſi vappida evadat, chylumq; recens infuſum ſibi non rite asſimilare queat, ſin vero particulæ excrementitiæ, poſt inhibitas quascunq; evacuationes ſolitas, v. g. hæmorrhoides ſuppreſſas, menſes obſtructos, ſecundum naturæ leges haud excernantur, ſed aut penitus aut quoad partem retineantur, atq; in *Maſſam Sanguineam* redundent, facile flammam vitalem opprimere, ejusque vigorem ſufflaminare valent. Tandem quoq; animi pathemata in hoc affectu producendo ſuas agunt partes, imprimis curæ, mœror, triſtitia, terror, in his enim affectibus ſpiritus retrocedunt, ſanguinemq; in exterioribus corporis partibus derelinquunt, quo gratioſo ſanguinis rectore diſcedente ⊖ia extravertuntur, multasq; Oeconomiæ animali turbas concitant, appetitus deficit ob ſegniorem ſpirituum in Ventriculum influxum, chylificatio quoque minus prompte peragitur. Quin etiam amor nimius huc ſuum ſymbolum confert, ille enim

adeò

adeò impense occupat animum, in consideratione objecti concupiti, ut adhibeat spiritus omnes qui cerebro insunt, ad ejus ideam continuo sibi repræsentandam, unde universum corpus & ipse sanguis influxu animali, quo debebant vigorari, defraudantur, ex quo penu illis denegato, omnium viscerum languor succedit, illorumq; functiones cessant.

XIII.

Proximum est, ut breviter quantum res p. n. ad dyscrasiam talem humoribus inducendam valeant, indicem; Ita febribus diuturnis quandoq; hoc malum succedit, cum enim ex sanguine in crebrioribus paroxysmis spiritus plurimum evaporent, cruor inde debilior, & fere vappidus evadit, interim ⊖ia evehuntur magis & exaltantur, unde sanguis ex sapore subdulci in acidum degenerat, quin etiam scorbutum & viscerum scirrhos plerumque insequitur noster affectus, verbo, in omnibus morbis, in quibus flamma vitalis tantæ activitatis non est, ut materiam morbificam attenuando ac resolvendo expellere possit, seminarium ad hunc affectum disponens relinquitur.

XIV.

Cæterum quia nonnullæ etiam passionis hypochondriacæ dantur differentiæ, ne illas silentio præteriisse videar, tres in medium afferam: Primo igitur affectio hypochondriaca differt ratione partis affectæ, dum hanc vel illam partem magis affligit, unde in quibusdam ægris Ventriculus, Epar, Lien magis patiuntur, in aliis aliæ partes sub hypochondriis contentæ. Secundo differt affectio hypochondriaca ratione causarum, interdum namque à causa externâ sine vitio alicujus visceris originem suam habet, interdum à causa interna; nimirum vi-

ſcerum vitiis. Tertio ratione ſymptomatum, interdum enim graviſſimis & intolerabilibus ſtipata ſymptomatibus, in aliis vero minùs gravibus levioribusq; comitata deprehenditur.

XV.

Cauſis propoſiti mali hactenus evolutis, differentiisque ejus traditis, ſigna potiora præſentem futurumque corporis afflicti ſtatum manifeſtantia, indagaſſe juvabit, tantum enim curamus, quantum cognoſcimus; optima verò ſigna conſtituunt ſymptomata, quæ quam multiplicia & varia in hoc affectu occurrant, neminem Practicorum ſcripta evolventem latere poteſt; potiora ſaltem hîc adducam, incipiendo ab illis quæ in infimo ventre ſunt conſpicua. Primo igitur hic occurrunt Cardialgia, Ructus, Vomitus acidorum humorum, cùm enim propter fermentum digeſtivum depravatum, aſſumpta non in laudabilem chylum, ſed in Maſſam acidam viſcidam convertantur, ubi hæc Maſſa fermenteſcere incipit, ⊖ia ejus reſoluta majorem acquirunt acrimoniam, fibrasque ſenſiles orificii Ventriculi ſiniſtri lancinant ac vellicant, unde dolor ille & anxietas præcordiorum oriuntur, ubi vero materia hæc acidoviſcida per inteſtinum motum fermentativum magis reſolvitur & attenuatur, ructus acidi inſequuntur, tandem vero ſi fibræ tunicæ Ventriculi nerveæ liquamine tali acido ad plenitudinem ſaturantur, ope ſpirituum animalium illæ in ſpaſmos concitantur, quo ſe ab improportionatis talibus particulis liberent, unde vomitus producitur. Tormina quoque inteſtinorum & diſtenſiones hypochondriorum doloroſæ ab eodem acido in ſubjecto viſcido hærente oriuntur, dum illud inteſtinorum membranas pungit, rodit, & lancinat, asſociato

verò

verò alkali bilis cum ipſo effervescit, effervescendoque majorem locum quærens tenſivarum illarum diſtenſionum cauſa exiſtit. Multi quoque hypochondriaci alvum ſemper adſtrictam habent, ſerum enim quod è plexibus inteſtinorum glanduloſis continuo exſudat, ac lubricas excrementis vias præſtat, ſi craſi vitiata indolem auſteram ac ſtypticam ſortiatur, in glandulis ſtagnat, facileque aciditatem hanc fibris inteſtinorum motui periſtaltico dicatis, communicat, quæ inde conſtringuntur, ac conſtrictione ſua excrementis tranſitum liberum denegantes, remoræ illorum diuturnioris in inteſtinis cauſa exiſtunt.

XVI.

Symptomata medii ventris affectum hunc concomitantia varia ſunt. Primo notatur reſpiratio difficilis, quæ inducitur hypochondriacis vel propter rarefactionem nimiam ſanguinis, vel ob ejus ſtagnationem & grumeſcentiam aliqualem; illa fit, quando ſanguis hypochondriacorum dyſcraſiam acidam fovens à motu vehementiori aut aſſumptis acribus calidioribus, aut halituoſis in corde nimis rarefit, tunc enim cum impetu inpulmones irruens vaſa ſanguiflua nimium diſtendit, ut bronchiorum veſiculas comprimant, quo minus explicari queant, aeremque pro indigentia corporis admittant; hæc verò contingit ex defectu πνευματώσεως, ſanguis etenim, quando particulis activis rite exaltatis haud ſufficienter imbutus eſt, in corde non cito ſatis rareſcit & ſe expandere conatur, quin ægre fermenteſcens & in corde ſtagnare aptus, valde illud aggravat, expulſus tandem in pulmonum vaſcula impeditiſſimos ejus canales minus prompte tranſiens eosdem obſtruit, aërisque acceſſum pari ratione ac in priore caſu inhibens, reſpirationem

an-

anhelosam reddit. Interdum etiam asthmate convulsivo hypochondriaci tentantur, dum enim fibræ nerveæ musculorum ab acrimonia acida irritantur, libera thoracis dilatatio & constrictio pervertitur, pulmorumque expansio & subsidentia debita impeditur. Nec ab incubo liberi sunt, cùm enim chylus crudior & viscosior cordi advectus subigi nequeat, circularem sanguinis circa præcordia, & hinc spirituum quoque animalium in cerebro atque appendice ejus, motum turbat, unde turbulenta insomnia, & ob denegatum spirituum in organa motoria influxum variarum functionum læsiones, ex quibus sola respiratio & vocis interceptio impedita, phantasiæ offertur, quia solus thoracis motus in somno summe necessarius est. Cordis quoque palpitatio hypochondriacis satis molesta existit, quæ vel exinde oritur, quod sanguis illorum pituitosus, vaporosior redditus, ventriculorum fibras ita dilatet & distendat, ut illæ non possint perfectam absolvere systolen, & se ab infarctu liberare, sed per iteratas palpitationes sanguinem exprimere cogantur, aut contingit illa, propter ⊖ia sanguinis acriora, quæ dum cor continuo pungunt ac vellicant, non possunt non motus tales anomalos excitare. Nec à syncope immunes vivunt malo nostro detenti, cùm enim sanguis ob viscititatem & crassitiem suam, aut propter acidum quoddam excessivum, imprimis ex pancreate ipsi infusum, coagulationem intentans, non ritè possit in corde rarefieri, ipse in præcordiis periculose stagnat, à circulatione peragendâ inhibetur, partesque exteriores influxu vitali defraudantur.

XVII.

Restat ut jam quoque excutiamus symptomata in suprema corporis regione potissimum obvia; ubi primo

primo occurrit dolor capitis,pro causæ diversitate nunc gravativus, nunc tensivus, nunc pulsatorius; quando enim serum viscidius in ventriculis cerebri stagnat, ibi repletione & gravitate sua, sensationem ejusmodi molestam atque gravamen inducit; quod si verò halitus acidi aliarum partium, tunicas sensiles lancinantes, per consensum fibras etiam dissitas in capite tendant, dolor tensivus exinde sentitur; pulsatorius verò observatur præcipue aliquot horis post pastum, cùm enim crudiores chyli portiones tunc temporis sanguini associentur, effervescentia p. n. sanguinis contingit, per quam motus ejus rapidior & celerior redditur, atque inordinatius arteriolas capitis distendens, pulsatorii doloris autor existit. Vertigine insuper, scotomia, tinnitu aurium, plurimi hypochondriaci divexantur, cùm enim sanguis ipsorum diversis & heterogeneis scateat particulis, ubi ad cerebrum pervenerit, hæc corpuscula heterogenea spiritibus infesta, ex parte in cerebri poros se insinuant, conformationem illorum regularem invertunt, ut spiritus in gyrum quasi agantur, ubi verò intimius obstruunt meatus, circa nervos opticos præsentes, scotomiam, circa nervi autem acustici originem, motum talem perversum ac tremulum auribus inferre valent. Multi quoq; ex hypochondriacis Melancholiæ obnoxii notantur,ideo,quia acidum illud vitiosum,in infimo ventre potissimū sedem suam habens, spiritibus animalibus associatur, unde hi quoque diathesin acetosam induunt, & cum antea summe mobiles & elastici fuissent, jam torpidi evadunt, & à solitâ suâ agilitate desciscunt, atque ubi in cerebri meditullium se receperunt, illud semel ingressi non facile rursus deserunt, unde quoque ratio petenda, cur Phantasia illorum ea, quæ semel con-

 cepit

cepit, semper sibi habeat obvia, spiritus siquidem cerebri poros semel ingressi, propter fixitatem suam concentrantur quasi, ut eandem ideam semper præsentem habeant.

XIIX.

Enumeratis hucusque symptomatibus accensendus sudor nimius, in quibusdam Hypochondriacis observatus; sic refert *Nob. D. Emanuel. König. in Regno suo animali pag. 16.*, quod noverit virum summe Hypochondriacum, qui sudoribus nocturnis velut diffluens, tantam sudoris copiam intra scrobiculum cordis colligere solitus fuerit, ut cochlearibus ipsum excipere potuerit, qui exceptus ac prunis ardentibus impositus, in gelatinam abierit; nam cum chylus recens sanguini infusus, propter malam hujus diathesin non ritè assimiletur, ille confusus saltem, nec per minima conjunctus, cum sanguine, ubi exitus datur, secessum molitur; & facta simul propter insufficientem ♌uum generationem, toni fibrillarum nervearum per cutis reticulare corpus dispersarum nimia relaxatione, glandulisque cutis nimis porosis & laxis redditis, serum nutritium exitum patulum nanciscitur.

XIX.

Tantum de symptomatibus præcipuis, signorum diagnosticorum loco inservientibus, dixisse sufficiat: Pergimus ad Prognosin quæ triplex habetur: (1) Ratione salutis & mortis, affectus hic per se lethalis quidem non est, periculo tamen non vacat, præsertim ubi interioribus visceribus labes jam affricta sit. (2) Ratione longitudinis & brevitatis malum hoc contumacissimum est, ac multum temporis ad curationem postulat, quod etiam jam olim Hippocrates agnovit: Morbus, inquiens,

quiens, diuturnus eſt, qui non niſi diu vexatos ægros & conſeneſcentes dimittit, quando eos relicturus eſt, aliquando etiam ad mortem usque comitatur. (3) Ratione modi eventus, ſi curationem non admittat affectio hypochondriaca, ſæpius in Anaſarcam & Hydropem deſinit, cùm enim ſanguis in craſi ſua indies depravetur, humorumq; ſeroſorum acrium excrementitiorum proventus inde uberrimus propullulet, non poteſt non fieri, quin tandem acrimoniâ ſuâ tales humores vaſa lymphatica perrumpant, inque varias corporis partes ſeſe effundant, aut ſi propter viſcoſitatem ſuam poros partium penetrare non valeant, ſubſiſtendo varios tumores œdematoſos producant: interdum etiam paſſio hypochondriaca in Apoplexiam, Paralyſin & Epilepſiam terminatur, pro diverſa materiæ morbificæ metaſtaſi.

XX.

His ita conſideratis ad Curationem ſive Solutionem morbi artificialem nunc accedo, quam ægri à Medico potiſſimum expetunt. Eadem autem ſecundum diſtinctas Indicationes, generationis modo è vero cauſarum ordine deducto ritè oppoſitas, perficienda erit, ſicuti id candide demonſtravit *Vir Nobiliſſ. Ampliſſ. Excellentiſſ. atq; Experientiſſ.* DN. JAC. PANCRAT. BRUNO, *Philoſ. & Med. D. Theor. & Pract. Prof. Publ. Celeberrimus, Patronus ac Præceptor meus ſanctiſſimè colendus, in Colleg. Pract. MSS.*

XXI.

Prima igitur Indicatio eſto, ut res nonnaturales, quæ fuerunt cauſæ procatarcticæ præſentis affectus, pro futuro materiæ morbificæ proventu prohibendo mutentur, contra tales ſubſtituantur & ordinentur, quæ ſanguini futuro temperatiori, minusq; heterogeneitatibus acidis aut tartareo-⊖inis terreſtribus repleto, com-

modam materiam præbent. (2) Ut dyſcraſia illa acida viſcida, alterando & evacuando tollatur, atque ſpiritua-ſcentia nova ſanguini inducatur. (3) Ut fermenti Ventriculi ſpirituoſa activitas reſtauretur & corroboretur.

XXII.

Jam ergo ut ſatisfiat primæ Indicationi, Aër in quo æger noſter vivit, ſit purus, tenuis, nullis exhalationibus peregrinis refertus, contra frigidus & borealis vitetur. Victus ſit mediocris, cibi boni ſucci facilisque concoctionis præbeantur ex carnibus agninis, hædinis, vitulinis, pullorum gallinaceorum, perdicum; panis ſit bene fermentatus, ſeminibusque carminativis conditus, fugiantur verò δυσπεπτα & quæ tartareum, craſſum, lentum ac viſcidum ſuccum generant, uti carnes piſcesque ſaliti ac fumo indurati, item caſeus antiquus, legumina, fructus horæi. A prandio vel cœna peptica uſurpentur, cujusmodi habentur Pulv. ſtomach. Birckmanni cum Conf. ſem. aniſi. Trag. ſtomach. Quercet. vel Hartmanni. Potus ſit clarus ac defæcatus, qui medicamentoſus reddi poteſt herbis aperiendi & detergendi vi præditis, uti abſinth. card. bened. meliſſ. ling. cervin. caryophyllat. fl. borrag. infuſis: Concedi quoque poterit ▽ hordei chalybeata, it. Dctum herbæ Thee moderatè hauſtum. Motus corporis ſit moderatus, & præcipue ante cibum inſtituatur, ſic enim fermentum Ventriculi activius redditur. Somnus & Vigiliæ moderate ſe habeant, & nec in exceſſu, nec in defectu delinquant. Quoad animi affectus, gaudio atque hilaritati ſtudeat æger, contra abeſſe jubeat mærorem, triſtitiam, ſolicitudines, deſperationem, nec ſe committat meditationibus profundis aut lucubrationibus ad ſeram usque noctem protractis. Excreta niſi ordini

natu-

naturæ aut consuetudini respondeant, arte promovenda, sicque ad utriusque leges revocanda sunt.

XXIII.

Ad secundam progredior Indicationem, quæ sanguinis humorumque dyscrasiam acido viscidam alterare atque evacuare jubet; cui fini gemino remedia Pharmacevtica & Chirurgica seligenda erunt.

XXIV.

Et Pharmacevtica quidem quod attinet remedia, pro alterandâ in malo hypochondriaco peccante sanguinis humorumq; dyscrasia acido-viscida, conveniunt *I.* Incidentia & aperientia, acria ⊖ina volatilia, necnon temperata oleosa sive sulphureo-⊖ina, ut & amaricantia, ex quibus artificiose junctis sequens e.g. Vinum Medicatum præscribi poterit:

℞. *Rad. quinq; aperient.*
caryophyllat.
enul.
acor. āā. ℥iij.
Cort. cappar.
aurant. āā. ℥ij.
H. meliss.
menth.
absinth.
cochlear. āā. Mj.
Fl. anthos
genist.
bugloss.
violar.
Summit. centaur. min.
origani āā. Pj.

Sem. anis.

fœnicul. ãã. ʒij.

Incis. & contus. dr. ad saccul. è sindon. alb.

Sgr.

Species zum Kräuter-Wein.

II. ⊖ia lixiva fixa, præsertim ex herbis Epaticis, Spleneticisque communiter dictis, parata. *III.* alcalia volatilia, uti ⊖ volat. C.C. succin. eboris tartari, ♎ ✱ci volatil. urinosus. *IV.* ♂ialia aliàs hic laudatissima, tum quod acidum absorbeant, tum quod sanguinis motum fermentativum ac spirituascentiam restaurent, uti sunt: Limat. ♂ (vel per se usurpata, vel in nodulo Vino medicato modo proposito, indita,) ♁ ♂iale diaphoreticum, Crocus ♂ aperitivus cum ⊖ibus, Syr. chalybeatus, & Essentia hypochondriaca Cl. Dolæi descripta in Encyclopæd. p.580. Liquor terræ ♂ialis ⊖ris, TRa vitrioli ♂ aperit. Zwelf. Essent. ♂ cum succo pomor. Borsdorffian. parata &c. Ex quibus formulas quisque pro lubitu conciliabit, dum duas apposuisse sufficiat.

℞. *Croci ♂ aperit. cum ⊖ibus.* ʒiij.
Pulv. cachect. Querc. ʒj.
Ol. Cinam. gtt. iiij.

M. Dr. ad chart. iiij. æquales. Sgr.

Besonders Stahl-Pulver auf viermahl.

Vel

℞. TR*æ* ⊕*li* ♂ *aperit. Zwelf.* ʒij.
Elix. propriet. antiscorb.
vel absq; acido parat. ʒj.

Deß Morgens frühe etliche Tropffen mit dem Kräuter-Wein oder warmer Suppen zu nehmen.

V. Ab-

V. Absorbentia & resolventia, quæ inter Helmontius ocul. ♋, Sydenhamius verò corticem peruvianum maxime laudant. *VI.* Acida blanda, temperata, uti sunt ♎, ⊖, ⦶, vitr. dulc. pro citcumstantiarum varietate usurpanda.

XXV.

Medicamentis autem hisce sanguinem & humores acido-viscidos alterantibus, jungenda sunt præparantia communiter dicta, ad evacuationem disponentia, sordesq; primarum viarum detergentia, ubi optima censemus ⊖sa vel enixa qualia sunt: Terra foliata tartari, & ejus liquor, tartar. vitriolat. Acid. tartar. chalybeat. Arcan. duplic. Mynsicht. &c.

XXVI.

Quibus præmissis, pro evacuandis iisdem humoribus adsunt: (*I.*) Lenientia passulata e. g.

℞. *Pulp. passular.* ℥iij.
Cort. citr. cond. & tenuiss. incis. ʒiij.
Arcan. duplic. Mynsicht.
Pulv. rad. jalapp.
Acidi tartar. chalybeat. ā̄ā. ʒj.
Mr. cum Syr. de pom. solutiv. pro Elixir.

(*II.*) Iis non sufficientibus purgantia, majori efficacia humores viscosos fundentia, viz. Pilul. Melanogog. Querc. Tartar. Bont. Pil. Magistrales *Sylvii descript. in Prax. Med. Lib. I. cap. XIV. §. 50.* Vel ex tempore tales præscribantur.

℞. *MP. Tartar. Bontii*
Extr. Pilul. tart. Quercet. ā̄ā. ℈ß.
⊖is Tartar. gr. iij.
Ol. fænicul. destillat.
anis. destillat. ā̄ā. gtt. ij.
Mr. cum Elix. propr. dulc. F. Pil. n. xxv. in aur. pro 1. dosi.

Vel

Vel

℞. *MPil. de hier. cum agar.* gr. xv.
Gumm. ammoniac. in ♁*to solut.* ℈ß.
Cholagogi insuccati. gr. ij.
Cum ♎ Cochlear. F. Pilul. n. xxv.

Aut si vinum medicatum & alterans, & purgans, magis placuerit, seq. nodulus præscribatur.

℞. *Rad. 5. Aperient.*
Polypod.
Helen.
Filicis ãã. ʒ iij.
Herb. Cuscut.
Absinth.
Agrimon.
Eupator. ãã. Mj.
Flor. Genist. Piiij.
Cort. Tamarisc.
Fraxin. ãã. ʒij.
Fol. Sen. s. s. ʒvj.
Fibr. Ellebr. nigr. non præparat. ʒj.
Rhabarb. elect.
Cinamom. ãã. ʒiß.
⊖ *Tartar.* ʒj.
Mr. pro nodulo.

(*III.*) Emetica, testatur enim Sennertus, in malo pertinaci hypochondriaco observatum fuisse, eos humores è primis viis rejectos, qui purgantibus evacuari non potuerunt. Formula talis esto

℞. *Tart. Emet. Mynsich.* gr. ij.
⊕ *lat.* gr. iiij.
Ol. anis. gtt. j.
Mr. F. Pulvis. Sgr. Brech-Pulver.

(*IV.*) Huc

(*IV.*) Huc faciunt quoque Enemata, primas vias pituitamq; ibi collectam evacuantia, e. g.

℞. *Rad. Cichor.*
Alth. ãã. ℥j.
Fol. Malv.
Alth. ãã. Mj.
Pariet.
Nasturt. aquat.
Fl. Sambuc.
Chamæmel. ãã. M*ß.*
Sem. Anis.
Fœnicul.
Fœnu græc.
Lin. ãã. ʒj.
Coq. in s. q. ▽. Hord. Colat.

℞. ℔. j.
Add. Elect. diacath. ʒiij.
lenit. ʒij.
Ol. chamæm.
rutac. ãã. ℥*ß.*
Lap. prunell. ʒj.
Mr. pro Enemate.

Nec (*V.*) negligenda Diaphoretica & Diuretica, tam ⊖ina lixiva, quam alcalia volatilia, rei Medicæ gnaris notissima.

XXVII.

Confugere adhæc licebit ad Acidulas, tanquam sacram salutis Anchoram, cumprimis Ægranas, quæ, ratione 🜍 acidi sulphur. embryonati, incidunt ac resolvunt, ratione autem Venæ ♂ corrosæ, ⊖ia acida in corpore oberrantia absorbent.

 XXIIX. In-

XXIIX.

Inter Chirurgica remedia, propositæ Indicationi secundæ inservire perhibentur: (1.) Venæ Sectio, modicè pro sanguinis aut stagnantis commotione, aut ventilatione celebranda, in brachio, aut pede, si suppressio hæmorrhoidum, aut, in sexu sequiori, mensium simul concurrerit, (2.) Hirudinum Venis Hæmorrhoidalibus applicatio, qualem Veteribus in hoc casu in usu frequenti fuisse, autor est *Zacutus lib. 1. de med. princ. hist. cap. 4.* (3.) Cucurbitulæ scarificatæ, lumbis, aut ad facilitandum hæmorrhoidum mensiumque fluxum, natibus applicatæ. (4.) Fonticuli, in brachio aut femore excitandi, ex naturæ consilio, quæ pro expugnando malo hypochondriaco, non raro abscessus molitur.

XXIX.

Consideranda restat (*III.*) Indicatio, ut fermenti Ventriculi spirituosa activitas restauretur, & corroboretur, quo faciet usus Trag. stomach. Querc. aut Birckman. Spec. aromat. rosat. pro morf. Imperat. Diagal. Diacin. Elix. vitrioli Mynf. Eff. menth. absinth. &c. non omissis Unguentis & Linimentis, atque Emplastris stomachicis, quibus practicorum libri scatent.

XXX.

Sed hic Plato quiescere, & à speciali, symptomatibus variis in Malo Hypochondriaco occurrentibus, debita mitigatione enarranda abstinere jubet, quæ alias generaliter per sedativa Archei peragitur, omnium enim particularium symptomatum curam tradere velle, esset totam Praxin transcribere.

Interea

DEO TRIUNI SIT LAUS ET GLORIA IN ÆTERNUM.

COROL-

COROLLARIA.

I.

PRæter sanguinem, ♌ que vitales, etiam humores excrementitios per arterias ferri ad intestina, atq; in eorundem cavitatem, mediantibus glandulis ipsorum, secerni, probabile est.

II.

Helmontius, dum lac interdicit recens natis, aliudq; nutrimenti genus illi substituendum censet, in naturam injurius est.

III.

Dulcibus nutrimur.

IV.

Sanguis ad prudentiam multum confert.

V.

Anima rationalis functiones animales in corpore non præstat, sed saltem dirigit.

VI.

In Virginibus quandoq; salva earum integritate posse lac reperiri, nec rationi nec experientiæ contrarium.

VII.

Medicamenta operantur ratione configurationis particularum suarum.

IIX.

Omnesq; suas operationes in corpore per contactum materialem exserunt.

IX.

Imaginatio multum ad remedii effectum promovendum facit.

X.

Viliora præcipitantia, ut oculi cancri, corallia, testacea, gemmis, si non præferenda, saltim non postponenda.

XI.

Quod variæ TRæ rubicundæ metallorum, sulphur ipsorum metallorum, à reliqua metallica substantia diversum, & realiter separabile, in se absorpserint, nondum firmis satis rationibus probatum.

XII.

Cum sulphur non verum colorum principium sit.

XIII.

Sed eorum essentia unice consistat in luminis modificatione causatâ à textura superficiali corporum.

XIV.

Opium humorum fluidorum, quà talium motum cohibere nequit.

XV.

Nec solidas partes in functionibus suis motivis retardare valet.

XVI.

Sed -Ω-uum saltem impetum sistit, motumq; illorum sufflaminat.

XVII.

Opiata per accidens sudorem movent.

XIIX.

Gravidis nocent.

XIX.

Medicina duobus cruribus innixa est, rationi & experientiæ.

XX.

Chalybeata sanguinis fermentationem promovent.

XXI.

Nulla febris tuto, & absq; recidivæ metu, curatur absq; diaphoresi.

XXII.

Terror solus causa proxima pestis non est.

XXIII.

Nec etiam pestis venenum consistit in seminio animato.

XXIV.

Sed in ⌒ e volatili acri sui generis, sanguineæ craseos destructionem intentante.

I. STOR-



I.

STORCHI, *hypochondriacos* abigit Tua cura dolores,
Ægros & Medicos qui cruciare ſolent.
Vis genii, Ingeniiq; Tui & prudentia, rectè ab
Ægris effertur laudibus & Medicis.
Gratulor hanc ſortem. Votis DEVS annuat! ut ſis
Victor Morborum & Vita, ſalus populi.

Ita de Studiis Nobiliſs. ac præclarè docti DN. CANDIDATI, *Fautoris & Inquilini ſui perchari, augurabatur*

MAVRICIVS HOFFMANN, Med. D. & Prof. prim. Potentiſs. Elector. & Sereniſs. Marchion. Brandenb. Ducumq; Wirtemberg. Reiq; Publ. Norimberg. Archiater.

II.

Ad Nobiliß. & Clariſſimum

DN. JOH. CHRISTOPH. STORCK,
Medic. Candidatum, Amicum ſingularem.

Ὀνοματοπαίγνιον συγχαριστικόν.

Οὔλιος Ζώων ὀφίων κακούργων
δὴ καλεῖται ἀντίπαλος πελαργὸς, (a)
τούτους ῥάμφει κεκοφὼς τάχιστα
καὶ κατερείπων.

Ταύτῃ δὲ μνήμων ἱερογλύφειο
Συμβόλου τούτου, φίλε ὦ ΠΕΛΑΡΓΕ,
Τῶν κακῶν σεμνῇ δέλεαρ μὲν οἰνῇ
ὦκα λαπίξας,

ἄντικρυς Παιηονίῃ φερίστῃ
ἐν νόσων τέχνῃ κορέων ἀπαρτὶ
ἦμαρ ἤσκησας μαλὰ ἦτε νύκτωρ
ἐσθλοδίδακτος.

Εὖγε οὖν ταύτης ἀρετῆς· Πελαργοῦ (b)
Τοῦγε δέρτρῳ τούριγανον φέροντος
πλήρους εὐκλειῶς μετέπειτα ἴδμων
μνῶμα ἄλλο,

καὶ θεόστοργος πολυμήχανός τε,
φῶτας ὃς πλείστους κρυερῇσι νόσοις
εἶδεν ἐκ - μαστιζομένους - ῥύεσθαι,
ἴσθι Ακέστωρ.

L. M. Q;
f.

JACOBVS PANCRATIVS BRVNO
Phil. & Med. D. hojusq; Prof. Publ

(a) Unum Hieroglyphicum: Ciconia ſerpentem roſtro dilacerans: denotat Voluptatum & malorum affectuum diſſipationem.
(b) Alterum Hieroglyphicum: Ciconia Origani ramuſculum roſtro tenens; ſignificat Medicinam ſibi comparatam. De utroq; videatur ex *Pierio Ulyſſ. Aldrovandus l. 20. Ornitholog. c. 1. ed. Bonon. p. 305. 306.*

III. Dum

III.

DUm commune malum doctorum exponis *Amice*,
Sub costis spuriis quod cruciare solet;
E Medici docti nomen tituliq; manebunt,
Et doctæ frontis coccina mitra decus.
c erit haud impar docto fortuna labore,
ut votis fiat major & illa precor!

Nobiliss. & Clariss.
DN. STORCKIO
Medicinæ Doctorando meritissimo
gratulabundus
denproper.
JOH. MAVRICIVS HOFFMANN,
Phil. & Med. D. Anat. & Chem. Prof. P.
ac Facult. Med. p.t. DECANVS.

IV.

Ic Hypochondriacum *disquiris* AMICE *sagaci*
mente malum, *ut* magnum, TE *petat inde* bonum.
oc ut in horas inq; dies augescat, & illud
cesset perpetuo, faxit APOLLO PATER!

Liceat ita
Numen Ter-Optimum omnis
salutis fontem
sub nomine peregrino & commentitio,
pro salute plurium communi
& *CL. DN. Doctorandi* propria
festinanter, at toto tamen pectore, solicitare
ingenuè-gratulabundo
M. JOH. CHRISTOPH. STVRMIO,
Philos. Nat. & Math. P.P.

V.

c est: Non cygnus gryphum atq; *Ciconia* corvum
gignit, sed similem gignit uterq; sui:

Et

Et Tu STORKE refers *Magni* magna auſa *Parentis*,
inde *Patris* titulo (*a*) nobiliore nites.
TE ſummæ laudis, ſi celſior ire parabis,
deſtituent apices: *Nominis* altus apex.

(*a*) Legis enim Veſtigia B. Dn. Parentis, qui Artis Apollineæ Doctor, ac in Patria, *Reverendiſs.* ac *Sereniſs. Abbatiſſæ* Archiater, Reiq; publicæ ibidem Phyſicus fuit famigeratiſſimus.

Nob. & Clariſs. DN. DOCTORANDI, Canonici *Hervordienſis*, *conatibus ita applauſerunt Inauguralibus*

COMMENSALES.

VI.

SO geht man Wolken an/ ſo wird der Weg bereitet
Dem/ welchen Tugend führ't/und Den die Kunſt begleitet;
Wer ſpäten Nachruhm ſucht bey der gelehrten Welt/
der hat den Compaß ſtäts zur Weißheit hingeſtell't.
Glük zu/ Hochwerther Freund! jezt wilt Du noch mehr wezzen
den Sinn uud ſcharffer Lehr/ damit Du könn'ſt ergezzen/
mit weitberufnen Lob (*a*) die von dem Sizzen krank/
wer ſo die Künſte ſchöpf't/ hab' es den Lehrern Dank.
Geh fort auf dieſer Bahn/ daß Du mög'ſt höher fliegen
zum blauen Sternen-Feld/ Du wirſt gewiß nächſt kriegen
auf (*b*) Peter Paul das D, des Fleißes rechten Lohn/
dann ſieh'! Apollo ſelbſt bereitet jezt die Krohn.

(*a*) Vita enim ſedentaria permultum tribuit *Malo Hypochondriaco*.

(*b*) Hic dies præ cæteris in Alma noſtra Altdorffina lapillo niveo notandus, quoniam hoc ipſo utriusq; Facultatis creantur Doctores.

Dem Hn. Licent. als ſeinem Brüderlich vertrauteſten Herzens-Freunde und hoch zu ehrenden Tiſch-Gliede hat mit dieſen geringfügigen Zeilen ſchuldigſt aufgewartet

JOH. GEORG. ZAPF, Natural. & Med. Stud.
Erphordiâ Thuringus.

VII.

V*Nica cura fuit didiciſſe fideliter artem,*
Hinc tantis meritis digna brabea capis.

Nobil. & Doctiß. Dn. Doctorando, *familiaritate, menſâ, atq; Contubernio ſibi conjunctiſsime, gratulabund. appoſ.*

M. F. GEVDER.